

DEO OPT. MAX. VIRGINIQUE DEIPARÆ ET SANCTO LVCÆ.  
ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA  
CARDINALITIIS DISPVATIONIBVS MANE DISCVTIENDA  
IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS, 2. MARTII.

M. THOMA GAMARE, Doctore Medico, moderatore.

*An Cæna prandio salubrior?*

(:)

1005

**V**ITA in humido primigenio consistit, quod quamdiu viget, tamdiu prorogatur animal: hæc nisi perpetua triplicis substantiæ reparatione refarciretur, subito fatisceret: quæ in proba aëris præparatione & alimentorum assumptione constat, & prout illius substantiæ perennis fit effluxus, sic triplici alimentorum genere reparatur: halituosa, aëre, qui in montibus excelsis salubrior est: humida, aquæ potu, sæpius iterando in biliosis & siccis, (tamen in bilioso stomacho bilecat) interdicto vino etiam *ελαφογγ*, piperatis, acris, falsis, iusculis, multo eoque solo cichorio cum gallinacis, vitulinis & veruecinis carnis paratis, acidis omnibus interdictis, præterquam in pestilentibus & malignis febribus, in quibus vinum solum alexiterium.

**A**LIMENTORVM omnium certum & definitum tempus decernitur, in quo si *εὐχρηστος, ὑγιεινὸς, ὑγιεινὸς, ὑγιεινὸς* grata ingratis, familiaria & amica naturæ (etiãsi minus salubria) inimicis anteponantur, bene erit. Ea ex panis omni genere potus & carnis varietate desumuntur: ex pane filigineus simlagineo, secalis hordeaceo laudabilior; eius inutilis agris vsus, imò & infalubris, vt & vinum, quibus omnino interdicendum. Ex carnis varietate suilla bouinã, vitulina veruecinã, gallorum gallinacã, caponum, perdicum & phasianorum, Syluestrium omnium animalium carnis anteferenda: quorum omnium vsus mediocris, vt & fomni, veneris & laboris, & pro temperamentorum varietate varius, biliosis humidus, pituitosis siccus, sanguineis frigidus, melancholicis calidus.

**E**X piscibus copiosa etiam & laudabilis desumitur nutritio, quorum varia pro loci varietate est differentia, aut enim marini sunt, fluuiatiles, aut lacustres, aut stagnorum, aut paludum: ex marinis qui in medio mari vescuntur, littoralibus & saxatilibus præferendi, ex fluuiatilibus qui rapidiori cursu feruntur, laudabiliores & melioris succi: ex lacustribus qui Sole clariore illustrantur, nec montibus stipantur anteferendi: stagnorum & paludum minimè salutares: & omnes minori carnis ipsi copiam assumendi, incoctum enim & crudum succum efficiunt, nisi vini generosi portione corrigantur.

**A**CCEDIT his omnibus vinorum omne genus, Burgundianum, Gallicum, Hispanicum, Maluaticum, Nauaricum, Lacryma Christi, hypocraticum, quibus omnibus parcè vtendum, nisi in summa sanitatis vigore & corporis habitu atletico, quibus ob magnam spirituum exolutionem nonnumquam conceduntur, febricitantibus omnibus etiam ratione symptomatis omnino denegandum, præterquam in malignis (quarum puredo magis in spiritibus quàm in humoribus & partibus solidis constat) ea pariter pro diuerso corporis habitu & sexu exhibenda: viris quàm mulieribus maiori copia propinanda, non neglectis fructibus naturæ & ætati conuenientibus, siue crudis, siue coctis, post pastum exhibendis, & eorum omni genere.

**E**A omnia alimenta bis die assumenda sunt, quantitate & qualitate mediocri, naturæ, temperamento, ætati, victus generi, exercitio & conditioni congrua, sed quo tempore salubriora sint quæritur: Vbi longius coctioni perficiendæ tempus relinquitur, in quo laudabilior chylosis, hæmatosis & *εὐχρηστος* fiat, quarum vt diuersæ sedes sic diuersa coctionis officina: Prima in ventriculo solo, Secunda in hepate, Tertia in singulis corporis partibus, beneficio caloris natiui & humidi primigenij, nulla arte reparabilis, sero & spiritibus adiuti, sine quibus inanis esset nutritio: seclusis omnibus exercitijs, corpore & animo tranquillo, curis & anxietatibus vacuo, quorum beneficio calor intrò reclusus perfectam & laudabilem nutritionem efficit. Nec est quod plerique nobiles & delicati homines ab ea nos opinione deterreat, quod copiosa alimentorum in cæna congerie corpus grauetur, quamplurimi vapores, ijque crudi ad cerebrum efferantur, & turbulentos somnos excitent, à quibus morborum ilias, & contra à sumpto in prandio cibo etiam laudabili, fluctuanteque illo in ventriculo, ob temporis angustiam incocto & crudo, lienteria, diarrhæa, obstructiones hepatis, lienis, mesenterij, colici cruciatus excitantur, praua fit alimentorum præparatio, peior sanguificatio, pessima assimilatio, in cæna verò propter longiorem in ventriculo alimentorum moram, coctio melius perficitur, laudabiliorque & salubrior fit nutritio, hepar etenim per noctem integram ventriculum vndiquaque amplectitur, fouet, illius calorem adauget, sicque citius perfectiusque concoquit.

*Ergo Cæna prandio salubrior.*

Proponebat Lutetiæ FRANCISCVS LANDRIEV, Lauduneus, A. R. S. H. M. DC. LI.

*Printed by*